



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciōōCCCXIII.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.





Συὸ ὁριῶ

DISPUTATIONUM  
ETHICARUM

X.

De

VIRTUTE HEROICA,

&

VIRTUTIBUS IMPERFECTIS.

*In Inclytâ Wittebergensi Academia*

*proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO

Marpurgensi: Col. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE

VVILHELMO NIGRINO

Cadanensi Bohemo.

VVITTEBERGÆ

Ex Officina Johan. Gormanii, Anno 1611.

mini est scâ.  
aliud, quod  
rat. Quo no.  
publico offi.  
ti, atq; sub.  
re putantes.  
cum alijs vi.  
riate quid.  
intenditur,  
idat. 2. fre.  
sunt pœna.  
non sit tantis  
requens, sit  
rgo facile est  
e. Et si enim  
reri haud vi.  
quantitas, ut,  
m; dignum  
persona, vel  
licur.  
judicij bonis  
e magistratus  
cinoribus sibi  
n bonis fortu.  
2. In bonis fa.  
mia, relegatio,  
eaq; varia, su.  
talis, qualibus  
eduntur, in In.  
antur; &c. Pa.  
s, famamq; af.  
ribus corpora  
amz dispendio  
lent; bona cor.  
ut, qui in for.  
stavit, infamię  
ra varijs circū.  
e aggravantur;  
t. Hęc 961125  
& Interpreti.





V I R O  
INSIGNI PIETATE,  
virtute, eruditioneque;  
conspicuo,

Dn. SAMUELI EICHLERO,  
Reipub. Cadanensis Civi & Advocato  
præstantissimo, Affini & Fautori  
suo plurimum hono-  
rando,

*Exercitium hoc Ethicum*

*amoris ac benevolentia ergo*

dat  
dicat  
consecrat

*Respondens.*



Σὺν Θεῷ.

DE

# VIRTUTE HEROICA.

I.

*Virtus Heroica (ἀρετὴ ἡρωικὴ) est virtus divinitus quibusdam concessa, ad expediendum ea, quæ viribus humanis præstari nequeunt.*

I.



**V**irtus heroica, quam Philosophus vix uno aut altero verbo 7. *Eth. 1.* attingit, ab enumeratarum virtutum naturâ non parùm deflectit. Ut enim cæteræ omnes sunt habitus, *ἤξεις*, ita hæc *θεόσδοτος*: eò, quòd stricto significato heroa dicamus, non quemvis eximium, atque præstantem virum, sed eum saltem, qui dono extraordinariè concessio sic excellit, ut omnibus sit admirationi; cujus fuere generis *Simson*, Alexander Magnus; Jonathan, & alij. Idcirco non tam virtus est, quàm ἀκμὴ, summa perfectio, & divinum virtutum moralium complementum. Discimus proinde ab opinione *Keckermanni* *disp. 27. q. 14.* asserentis heroicam à mediocri non differre, nisi ratione graduum, & secundum magis, & minus: idque hanc ob causam, quòd 1. alium observat hæc nostra modum circa objecta versandi, atque mediocri: 2. objectum etiam speciale habet diversum: ab eo namque, quòd adire, ac subire licet heroicæ, arcetur mediocri.

II. Duplex autem se offert heroica virtus: una, Christiana, quæ fide, spe caritate constat, aut in spiritali palæstrâ cum Satanâ,

A 2

Satanâ,

TE,

;

ERO,

ocato

ori

ia ergo

rat

ondens.



Satanā, cæterisq; hostibus animam petentibus dimicat: In qua videris heroas præ omnibus Salvatorem Christum: mox Stephanum, septem fratres Maccabæos, 2. Maccab. 7. cæterosq; martyres innumeros, qui super. cœlestis doctrinæ veritate, divinæ voluntatis observatione, quin & caritatis operibus ad languinē usq; decertarunt: altera *politica*, quæ humanam sapientiam superans in actionibus politicis sese exerit. Atque hæc illa est, de qua nobis in præsentia res ac sermo.

III. De genere in definitione posito videndum: de illo namque duo exurgunt dubia. 1. Videtur tautologicum, eò, quod dicitur *virtus heroica est virtus*. Sed facile respondetur causam appellationis esse vocum defectum. Etenim; vox unica virtutem istam designans cum nulla detur, resarcitur defectus per additionem cujusdam differentia ad genus, ut inde unicus nascatur conceptus; & consequenter vox una, eaq; significatu à nomine virtutis diversa. 2. Omnis virtus habitus est: heroica ergò cum non sit habitus; utiq; nec virtus esse poterit. *Resp.* Largimur; si proprietatem, ac rigorem termini *virtutis* urgere placuerit. Nam pro diversis subjectis diversimodè se virtus isthæc habet: attamē in quibusdam excellentior est, & luculentior, adeoque usu frequentior in iisq; radices quasi agit, & naturam veri habitus induit. In aliis verò unius est, aut alterius facti; qui exiliore quidem ac inferiore gradu heroës salutantur; nihilominus verè ac propriè hoc nomine appellari possunt, etsi nullo prorsus habitu præditi. Ut virtus hæc, si essentialia ipsius intueamur, non tam habitus sit, quàm vis & *ὄγκος*, seu impetus quidam *θεόςδοτος* impellens ad agendum ea, quæ naturam, & vires hominum superant, atque excedunt; interea habitui quàm simillima.

IV. Quòd restringitur genus mentione originis; qua *divinitus concessa* dicitur; non semper occultam quendam ceu fanaticum raptum designat; sed etiam naturalem indolem, cui Deus peculiari benedictione singularem honestatis, ac divinitatis ardorem, & amorem indidit; unde postmodum eximii, & admirabiles ad magna tentanda impetus exurgunt. Unde *πρόσωπα* duplex: 1. Nemini facta heroica imitari fas est, nisi eadem divina vi instructus fuerit. 2. Facinora heroica vires humanas superant.

rent: h. e. majora sint, & excellentiora, quam ut ab homine naturali proficisci valeant. Sed quid? si ad hunc modum medium virtutis relinquendo naturam virtutis desereret; quin etiam eadem repugnare inciperet, & circa fortitudinem in audaciam transitu facto ipsi fortitudini sese opponeret? Verum: audacia non vituperatur, nisi quando molitur ea, quibus efficiendis aut impar est, aut rectam rationem excutit. Ideo, qui se solum mille armatis hostibus opponit, temerarius est, quatenus superandis illis multo est minor; & consequenter adversus rationem agit. Dum vero idem fecit Simson, audax censetur minime; quoniam virtute, qua pollebat, & spiritu, quo agebatur, divino, totidem viros superare valebat; atque sic rationem perficiebat, non impugnabat.

V. Hinc facile patet; quid intercedat discriminis audaciae, & fortitudini heroicae. Illa pericula adit, sed sine aequalibus, ac necessariis viribus: haec pericula subit, sed viribus sufficienter instructa. Illa ex virium per naturam & ordinariè acquiratarum; haec per singularem gratiam, & extraordinariè concessarum, quantitate aestimatur. Illa rationem adversantem habet, haec adstipulantem.

VI. Exurgit porro ex originis descriptione dubium, idque duplex: 1. qui fiat quod de hac virtute agat Ethicus, quae tamè nullis potest acquiri actibus, nec in nostra potestate est sita; & cui ethica nulla prescribere potest praecepta? Sed agit, h. l. Ethicus ex parte theoreticum, admirans divinam virtutum apicem: ex parte practicum; & quidem dupliciter: 1. quatenus ad hunc modum virtutes ipsi quam maximè commendantur, intuendo, quibus modis virtutes Deus coronet. 2. Oppositam feritatem defugiendo. 2. Cum hujus virtutis principia sint extra hominem; ane facta heroum ex *ἄγῳ* sint, an verò *ἀγῳ*? Resp. Mixtam quodammodo naturam referunt. Dum enim principium agendi externum est magis, quam internum; naturam imitatur *ἀγῳ*: at, dum externo isti principio non repugnat, sed consentit: nec consentit solum; verum & amore quodam plane singulari apprehendit; ei que obsequium maximè spontaneum praestat, ad naturam *ἄγῳ* quam proximè accedit.

VII. Finis atq; effectus mentione virtutis heroicæ naturam explanat definitio; dicens: *ad expediendum* ea, quæ vires humanas superant. Quocirca non sufficit, magna moliri: hoc enim potest etiam temeritas; sed oportet ut eventus conatibus respondeat. Præbuit hujus rei exemplum circa annum Domini 131. factiosus quidam Judæus Barchochabas dictus: qui ex nomine suo sese stellam istam ex Jacob oriundam Num. 24, v. 17. prædictam, nunc ad Judaicam gentem è servitute Romanorum eripiendum, & in pristinam libertatem vindicandum cœlitus demissam mentitus, universam propè gentem Judæorum periculosissimâ in Romanos seditione commovit, ut vi aperta Romanos tentare inciperet. Sed Adrianus Imperator tanta molimina sic repressit, ut instructissimo cum exercitu factus illi obviam, 58 Judæorum myriadas h. e. quingenta, & octuaginta millia una die cæderet. Quæ res tum gentem istam sic enervavit, ut ab eo tempore vires nunquã recolligere valuerit; tum etiam acta Barchochabæ probavit, nil fuisse minus, quàm heroica.

II. Requiritur porrò, ut opera grandia, non tepidè, ac trepidè sed alacritate egregiâ, magno calore, ac molimine suscipiãtur: Impetus vires arguit; quæ, utut magnæ sint, vel hoc ipso exiliores redduntur, si non junctim, & alacriter ad opus prorumpant. Vires autem cum divinitus ad magna perficienda concessæ fuerint, utique non quantitate saltem, sed qualitate etiam. h. e. agilitate, & ad operandum amore atque ardore magnas esse oportet; quod cernitur impetu. Atque hoc exemplis suis heroës abundè demonstrarunt. Simson non diuturno usus consilio (moram enim spiritus ardor non patiebatur) sed ex abrupto quasi, & de re præsentè captum consilium ipsi facto conjungebat. Julius Cæsar gerebat omnia *μὴδὲν ἀναβάνομεν*. Alexander Magnus volatu Dan. 8, v. 5. perlustravit orbem, Similis cernebatur in Jonathane impetus, I. Sa. 14, v. 6.

IX. Tandem verò generalitas membrorum hujus definitionis in mentem nobis revocat id, quòd imperitiores in solâ fortitudine perficienda heroicam virtutè occupari existimant; quæ





quæ tamen per virtutes cæteras omnes longè, lateque sese dif-  
fundit: qualia se passim in historiis exempla offerunt. Heroïca  
fortitudo in Alexandro Magno splenduit, Josua, &c. tempe-  
rantia in Macchabæis 2. *Macch.* 6. v. 18. 19. patientia in Davide  
2. *Sam.* 16, v. 10. Mansuetudo in Theodosio Imperatore, nemi-  
nem à quo læsus erat occidente, *Eras. in Apoph.* Justitia in Ari-  
stide, & sic de cæteris.

X. Moveatur hîc quæstio: num heroas contingat esse tum  
viros tum fœminas; tam juvenes, quàm adultos? seu: *an heroi-  
ca virtus in utrumq; sexum, & quæcumq; ætatem cadat?* Bimembris  
ea. *Ad prius* respondemus affirmatè: tum, quòd fœminæ non  
minus vasa sint gratiæ divinæ atque viri: tum etiam quia plu-  
rima idipsum exempla probatum hæctenus reddidere. Atta-  
men; ab ea, quæ virorum est, non parum deficit quantitate  
tam continuâ, quàm discretâ. Continuâ; quoniam tantum-  
præcellit heroïca virtus virorum mulierum virtuti, quantum  
fœmineus sexus infra masculinum subsidit. Discretâ, quatenus  
rarior multò est hæc virtus in fœminis, quàm viris; id, quod  
res ipsa loquitur. *Ad posterius*: tempestivè se prodit indoles, nec  
potest spiritus heroïcus diu latitare, quin aliquem de se radium  
spargat, & specimen quoddam edat. Attamen; cum heroïca  
vis non facilè plenè prorumpat, nisi perfecto jam rationis usu,  
& corporis organis, quorum hîc opus ministerio, consolidatis:  
ne qua parte defectus quispiam opus ipsum retardans occur-  
rat: Quapropter virtus heroïca puerorum propriè non est, sed  
*τῶν ἀνμαζόνων*, aut etiam *παρὰμαζόνων*.

XI. Opponitur cuivis in specie heroïcæ virtuti unum sal-  
tem extremum; quod pro diversarum virtutum, quibus ea su-  
pervenit, conditione diversa meretur nomina. Nam respicit  
ea virtus ad naturam cujusq; virtutis, quæ vel excessui similior  
est, vel defectui. Prioris generis est fortitudo: liberalitas, &c.  
Posterioris verò temperantia, patientia, mansuetudo. Cum  
ergò illæ virtute heroïca perficiuntur, imitatur ea naturam  
defectus, & oppositum habet extremum deficiens; dum tem-  
perantia heroïca in teterrimam famem; patientia in servilem;  
& abjectam, liberoque homine indignam, fortè & noxiam  
tolerantiam

tolerantiam transir; cui nomen ab autoribus datum non inve-  
nio. Quando verò hæ excessui similiore; extremum agnoscunt  
excedens; cujus est generis heroicæ fortitudini opposita feritas:  
quæ, ut illa est quædam fortitudinis coronis, & divinum com-  
plementum; ita hæc beluina prorsus audaciæ exuperantia, ut,  
quemadmodum illa humanas actiones excedit; ita hæc infra e-  
asdem subsidat; actionibus beluarum similis; quin & multò de-  
terior. Et sicut heroica virtus dono divino virtutem humanam  
perficit; ad eundem modum feritas excessus à bestiis rabidis de-  
sumpta occasione, perficiat, ac compleat, ut ratio non parere sal-  
tem appetitui, sed, aut in torum exulare, aut in contrariam versa  
videatur. Nullus verò hic defectus locum habet; quoniam id,  
quod mitius, agitur, quàm heroicæ virtuti convenit; hoc to-  
tum aut virtutis illius moralis est, cui heroica imponitur; aut  
ejusdem defectus. Ut; si heroica fortitudo defectum habeat; is  
dijudicetur ex ipsa morali fortitudine. Similiter se res habet  
cum excessu virtutis heroicæ prioris generis.

## II.

### DE CONTINENTIA.

*Imperfectæ virtutes sunt dispositiones, ad per-  
fectas morales, ceu inchoamenta quædam  
earum.*

*Et numerantur duæ: Continentia & Toleran-  
tia.*

*Continentia (ἐννεμία) est semivirtus, qua af-  
fectus, etsi reluctantes, imperio rectæ ra-  
tionis ab inordinatis suis actibus abstra-  
buntur.*

I. Imperfectorum habituum tractatio Ethicæ non intrinseca  
est, atq; essentialis, quia perfectas virtutes tractantem non opus  
est initia, seu inchoamenta earum contemplari. Ratio est evi-  
dens; nihil subjicitur contemplationi, quatenus in fieri consistit,  
sed

sed prout inesse. Quid verò aliud semivirtutes istarum, quàm inchoatarum, & in fieri constitutarum virtutes? ut ergò de prudentia, sapientia, artium, scientiarum, &c. inchoamentis nec Ethicus tractat, nec quisquam alius; cum de iisdem completis egisse sufficiat: sic non tenetur ob disciplinæ suæ perfectionem quicquam de illis tradere Ethicus; quamvis addat quidpiam propter perfectiorem virtutum cognitionem.

II Semivirtutum numerum, etsi ex perfectarum virtutum numero aestimari conveniat, ut tot sint initia, quot complementa; quia tamen in specie sunt ἀνώμαλοι; idcirco ex generali obiecto numerum ducendam existimavit Philosophus. Id verò duplex: voluptas, & dolor: de quorum priore continentia, posteriore autem tolerantia laborat.

III. Continentia; si præsertim grammaticum usum cum Ethico placuerit conjungere, triplex occurrit: 1. naturalis. 2. coacta. 3. virtuosa. Naturalem dico, cum quis naturam non magno opere ad voluptates sectandas incitatur, ut facile sit stimulos naturales reprimere. Coactam, qua Intellectus (sed non nisi ipse metu, poenarum aut præmii appetitu coactus) appetitum captivat, e jusque voluptates inordinatas coërcet. Virtuosam; dum recta ratio sponte sua, & aliter, quàm honestatis, ac virtutis amore ducta voluptates in ordinem redegit. Atque hæc illa, de qua nobis res, ac sermo. Coërcet verò continentia graviores potissimum cupiditates. Nam; si imbecilles fuerint, nihil egregium erit; si prava, & imbecilles, nihil magnum. 7. Eth. 3. Quæ non omnes continentia obijciuntur; sed solum ea, quæ ὡς ἀφ' αὐτῶν καὶ γένοιτο. 7. Eth. 6. Sed & illæ duplices sunt; unde duplex continentia obiectum; unum ἀναγκασιῶν necessarium; alimentum videlicet, & Veneris usus, alterum ἀίεσιον, ut victoria, honor, divitiæ &c. Ibid.

IV. Porro: in tribus consistit, & absolvitur universa continentia natura. 1. Refrenet affectus ad voluptatem tendentes, quod fit per actionum repetitionem, & crebriorem exercitationem; ad eundem modum, quem in virtutum consideratione diximus. 2. Faciat id libera ratio; non principio externo coacta; id quod virtutum principia postulant; libertatem videlicet actionum, & ἐλευθερίαν. 3. Non sit finis alius, quàm virtus, & virtuosa

B

actio,

non inve-  
agnoscunt  
ita feritas:  
num com-  
rancia, ut,  
nec infrae-  
multo de-  
numanam-  
s rabidis de-  
n parere sal-  
raciam versa  
uoniam id,  
it; hoc to-  
onitur; au-  
n habeat; is  
e res habet

, ad per-  
quedam

Toleran-

s, qua af-  
recta ra-  
s abstra-

n intrinseca  
m non opus  
atio est evi-  
ri consistit,  
sed

actio. Aliàs enim naturam virtutis in totum amitteret, uti fortis non est, nisi qui finem fortitudinis, nec liberalis, nisi qui liberalitatis finem, &c. respicit. Ergò qui fictitià sanctimonià, pràmiorum spe, pœnarum metu voluptatibus vel abstinent, vel se abstinere simulant; (monachos dico, & furfuris ejusdem homines alios) nomen continentis non promerentur.

V. Interim; continens is non est, qui voluptatibus sese abdicat licitis, quibus frui nulla verabat honestas, fortassi, imperabat. Quapropter omnes subintelligi oportet conditiones ac limitationes, quarum in doctrinà virtutum tam generali, quàm speciali mentio facta fuit. Unde *Aristoteles*: si bona sint cupiditates; habitus, qui prohibet, ne eas sequamur, pravus est: quare efficietur, ut non omnis continentia sit honesta. 7. *Ethic.* 3.

VI. Videtur continentia concidere cum pertinacia, & temperantia. Cum illa, quatenus non cedit, continentia, & constantia nomen assumit, in honesto perseverat; uti & pertinacia ab instituto se dimoveri non patitur. Sed differunt: 1. pertinax magis inhonesta tuetur iisq; inhæret; continens honesta. 2. pertinax ἄλογος; rationi, ut ut evidenti non paret, quod à continente alienum. Idcirco ille quidem ἀπὸς ἑσθλῶν; hic εὐπὸς ἑσθλῶν. 3. Ille ἰσχυρὸς ἐγγυμῶν est, διὰ παθὸς καὶ ὑπερβολίαν. 7. *Nicom.* 10.

VII. Cum temperantià multum habet convenientiæ, retamen differt, ἕτε ὡς πρὸς τῶν ἀντιθέτων, ἕτε ὡς ἕτε ἐγγυ γένος. 7. *Eth.* 1. Quæ ratio, ut Aristoteli ex professo, & copiosè hanc quæstionem excutere placuerit: ex cujus mente dicimus: differre dictas virtutes 1. ut principium, & complementum, sive, ut ἐξ ἑνὸς καὶ διὰ τῶν ἑσθλῶν; quibus aut specifica, aut non multò inferior intercedit diversitas. 2. Ut generale & speciale. Nam omnis temperantia continentiam complectitur; at non omnis continentia temperantiam; utpote, quæ ad omnes indiscriminatim virtutes extenditur, in quibus moderanda voluptas. Interim; convenientiam habet cum temperantià longè maximam, quatenus temperantia in voluptatibus regendis omnium maximè occupatur. 3. Differunt objecto; non, quod illud essentialiter sit diversum; sed quod idem aliter se habeat, dum continentia; aliter, dum temperantia objicitur. Etenim; voluptas temperantiæ sine violentiâ, quapiam,

quapiam resistantiâ pareat, ad obsequium quippe reducta, at continentiâ pareat quidem, at non sine gravissima luctâ.

II. Tenet quippe (ut definitio declarat) intellectus continentia instructus in periculum imperturbationes, quod crebrioribus sibi comparavit actibus: id tamen non quietum, & pacatum, sed cum reluctantiâ subditorum, qua seditiones haud rarò moliantur gravissimas, capistra Domino suo injecturi. Ut autem virtus perfectè, ac plenè acquiratur, hæc tria requiruntur. 1. Ut affectibus eripiatur dominium, quod in rationem sibi usurpant. 2. Ratio in affectus dominiû acquirat. 3. Sine repugnantia graviore idem exerceat. Semivirtus duobus prioribus contenta, tertium perfectæ virtuti relinquit. Unde patet, virtutem affectus jam tum captos cedere saltem, ut ductui rationis non pareant modò, sed & spontè pareant.

IX. Adversatur dictæ virtuti *incontinentia*, quæ vitium est in vitium etiam, & nolens in ad vitiosos actus pertrahens. Ea quæ partim naturalis est, partim adscititia. *Naturalis*, rursus duplex; 1. *privativa*; quatenus intellectus virtute continentia destituitur, quæ aliàs inesse debebat. 2. *positiva*, cum temperamento, totiusque naturæ inclinatione ad vitiosas cupiditates rapitur. *Adscititia*, quæ aut fit *Δὲ νόσος καὶ πρῶτος* 7. *Eth. 1.* aut cum pravâ educatione, aut mala assuefactione appetitus rationem captivam ducit, ut ad ipsius nutum cuncta oporteat agi. Quæ denno duplici modo distinguitur. 1. vel conjuncta est cum luctâ, quando intellectus sed reluctans, & cupiditates improbens (hoc enim differt ab intemperante incontinens, quod hic suavia prosequitur, οὐ μὲν δὲν; ille δὲ οὐ μὲν 7. *Eth. 11.*) appetitum sequitur & vocatur *ἀσθενής*; vel sine luctâ, cum ad obsequium jam reductus sine omni resistantiâ subito per affectum abripitur, & dicitur *ωρεπίτης*. 2. Aut conjungitur incontinentia ignorantia, cum quis agit ea, quæ nescit esse mala; aut noticia, dum quispiam *εὐδὼς ὅτι φαῦλα, πρῶτος Δὲ πάθος* 7. *Nicom. 2.* atque hæc propriè vitium illud, de quo in præsentè. Differt ea ab intemperantia; quod incontinentem aotionem pravaram poenitere potest; intemperantem non item. Ideò hic quidem *ἀνία* est; ille vero *ἰαλός* 7. *Nicom. 9.* Atque hæc causa; quod ex sententiâ Philosophi *κακία ἢ ἀκρασία οὐκ ἐστὶ ἀλλὰ πῆ ὅτι ὡραὶ ὡραίσεων; & ἀκρασίας 8. φαῦλ ἄπλωσ. Ibid. sed ἡμικενηρός. 6. 11.* III.

*Tolerantia* (*καρτερία*) est virtus, qua res laboriosas, & adversas cum quodam dolore conjunctas honestatis gratiâ magno animo perferimus.

I. Ut continentia circa voluptates; sit tolerantia circa dolores occupatur. Quia enim grave est, ferre dolores, utpote naturam, quæ seipsam modis omnibus defensam, conservatâ & cupit, destruentes; aut certè destructionem illius molientes impatiens dolorum appetitus eosdem profligat, & quibus omninò potest, modis mediisve repellit. Ubi multa inordinata, quæ non perinde modum observant legitimum, ac verum; sed pro suavis affectuum tam illicito, quàm licito, tam honesto, quàm inhonesto varia & inhonesta moluntur. Quæ causa, ut reserctis iis, quæ minus decent, doceat virtus hæc 1. tolerare dolores, qui honestè feruntur, nec præter honestatem excutiuntur. 2. Media vitare illegitima, quibus declinare dolores haud perinde licet. 3. Dolores iniquos mediis illegitimis profligare.

II. Nec tamen ob id merè passivè se haber tolerantans, quia maximè est activus resistendo eo modo, quo par est, iis, quæ tolerare fas non est. Hinc Aristoteles: *καρτερία ἐστὶν ἐν τῷ ἀνιέχθην*. 7. *Nicom.* 8. Unde facile sumitur discrimen continentiæ, & tolerantia: quòd illa quidem voluptates vincit, hæc verò ne doloribus vincatur, cavet; quo simili utitur *Philosophus* l. d.

III. Opponitur tolerantia *μαλακία*, mollities, quæ, quid sit, Aristoteles ostendit, dum 7. *Ethic.* 9. *μαλακὸν* definit. *ὁ ἐλλείπων πρὸς τὰ οἰκτὰ καὶ ἀνιέχθην, καὶ δύναται*: qui deficit in perferendis doloribus iis, quibus pleriq; renituntur, & prævalent. Duo verò excipit: si deficiat quis 1. *ἢ φύσιν τῶν ἄλλων*; quemadmodum Persarum reges molles sunt ex vitio gentis, & fœminæ in collatione ad virum. Quò referre non incongruè poterimus pueros, & senes. 2. *ἢ νόσον*; propter morbum: tunc enim vel ob mentis corruptionem, ac depravationem, vel organorum debilitatem, & virium exilitatem impeditur agere id, cui efficiendo par & promptus aliàs fuisset.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17







Σὺν Θεῷ  
 CITATIONUM  
 HICARUM  
 X.  
 De  
 TE HEROICA,  
 &  
 US IMPERFECTIS.  
 Wittebergensi Academia  
 proposita  
 RESIDE  
 O LAO HUNNIO  
 si: Col. Phil. Adjuncto,  
 SPONDENTE  
 ELMO NIGRINO  
 anensi Bohemo.

---

 WITTEBERGÆ  
 han. Gormanii, Anno 1611.


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

